ORATIONES
F. IO. PETRI GRIMALDI
CARMELITAE MEDIOLANEN.
A MODOETIA,
ANGLIAE PROVINCIALIS, ET
Collegij D. Mariæ Tranſpontinæ Regentis.

Habitæ in Sacello Apoſtolico coram Sanctiſsimo D. N.
PAVLO V. Sacroq. Purpuratorum
Patrum Senatu.

Ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum D. D.

SCIPIONEM BVRGHESIVM

S.R.E. Cardinalem, ſummumq. Pœnitentiarium, &c.



ROMÆ, Apud Gulielmum Faeciottum. M. DC. XIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. M Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Damianus à Fonseca Magister & Socius Reuerendissimi P. F. Ludouici Ystella Sacri Palatij Magistri Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTR.MO ET REVERENDISS.MO D.D.

SCIPIONI BVRGHESIO

S.R.E. CARDINALI,

Summoq. Pœnitentiario, &c.

Fr. Io. Petrus Grimaldus Carmelita Mediolanensis à Modoetia F.

M*INIME me latet (Amplissime Cardinalis) quàm multùm intersit aliquid ex ore audire, & illud idem ad cordatæ mentis stateram relegendo ponderare; quàmq. morosius sit, & maturius legentis, quam audientis iudicium; ex quo sæpe contingit eadem a legentibus irrideri, quæ fuerant ab audientibus apprimè commendata. Illud idcircò mihi semper hucusq; probatum fuit consilium, multo fore conducibilius ad existimationem, si ea sorte contentus, qua non vulgari gratulatione quatuor has orationes in sacro illo consessu omnium terrarũ augustissimo fæliciter habui, non eas sinerem temerario editionis honore promulgari, sed intra proprios lares abditas detinuissem. Verumenimuero cum efflagitantibus multis, quinimo iubentibus quamplurimis, ijsq. grauissimis viris, quibus plurimum detuli semper, atque debeo, non modo suaderer verùm & quodammodo compellerer eas typis demandare, atque ideo satius existimarem has Orationes Theonino denti, acribusq legentium censuris subijcere, quàm animum vnq. meum ingratitudinis nota turpissimè commaculare; necessarium esse duxi illas alicui saltem augusto, insigniq. viro nominatim dedicare; vt cuius nominis amplitudine collustrarentur, eiusdem patrocinio munitæ tutius in lucem hominumq. conspectum valerent prosilire.*

In ea vero semel & iterum cogitatione defixus, tu vnus (humanissime, & benignissime Princeps) multos inter alios occurristi, cui

potissimum Orationes istæ pluribus iam titulis debitæ nuncuparentur, tum quia cum omnes præter vnam de pœnitentia sint institutæ, cuinam tandem nisi Sũmo *ipsi* Pœnitentiario *debebantur? tum quia nullum opinor dari posse beneuolentiæ, vel obseruantiæ monimentum, quod tibi non sit deferendum, quippe qui sis aulæ, sis vrbis, sis orbis, ætatisq. nostræ præclarissimum decus, & ornamentum. Tu nimirum vnus ille es, in quem boni homines oculos, mentesq. conuertunt, quem suspensi intuentur, quem obstupefacti admirantur, quem intento digito monstrant, & quem nemo inimicum habere velit, amicum autem habere, cum ipso colloqui & assiduè versari, eidem obsequia præstare omnes in lucro, & laude summa ponendum esse arbitrantur. Non enim tua illa tantùm immixta modestiæ grauitas, in colloquendo affabilitas, moderatioq. animi, quæ tuam ad laudem, & beneuolentiam mirum in modum allicit hominum voluntates, verum & omne id, quod ad eas conciliandas, & deuinciendas maximè valeat, in te vno reperitur omni prorsus ex parte perfectum. Quapropter illud de promulgandis his Orationibus consilium, cui me primum constanter opponebam, modò libentissime complector; vel ex eo quod inde mihi diu peroptata iam offerri videatur occasio tibi depromptum aliquid ex studijs meis inscribendi, quo vel aliquam animi mei tibi deditissimi significationem exhiberem, & conceptum iampridem intra præcordia seruitutis affectum aliquo tandem obseruantiæ testimonio significarem.*

Hoc igitur qualecunq. mearum orationum, vel leuidense munus tibi quam reuerentissimus offero suppliciter exorans, vt quas me dicente plausibiliter audiuisti; easdem me iam offerente (si quando per otia libuerit) læta facie non dedigneris intueri, illisq. liberum aliquando (si uidebitur) summum ad ipsum Pontificem *aditum præbeas quò valeant illius etiam legentis oculis per te gratiosius intromittentem benignè perlustrari, cuius attendentis auribus per me ex tam celebri loco dicentem incredibili propemodum benignitate, & serenissimo vultus applausu meruerunt exhauriri.*

Sic enim futurum spero, vt censores à nimio rigore abstineant, & quas Orationes tua, tuiq. Auunculi praesentia cohonestatas audientes commendarunt, easdem vtriusq; patrocinio munitas legentes non audeant subsannare.

Interim quod in me est Deum impensè praecabor, vt tuam & Pauli V. *vitam diuinis in dies beneficijs cumulatam in commune totius Reip. Christianae commodũ, & vtilitatem nobis omnibus, & Ecclesiae sanctae diutissimè conseruet. Vale. Dat. in Collegio D. Mariae Transpontinae, Die 20. Martij.* Anno *Domini* 1613.

ORA-

ORATIO

Pro Dominica 4. Aduentus.

M. DC. XI.

IACEBAT iam dudum B. P. mundus
totus in maligno positus, atque sub 1.Ioh.5.
impia Tiberij, Pilati, Herodis, cæte-
rorum Principum tyrannide omnium
scelerum colluuione perfusus miserri-
mè procumbebat: quando iam aduen-
tante plenitudine tēporis æterno con Gal.4.
silio præfiniti Pientissimus ille Deus,
cuius natura bonitas vocem in electo
Ioannis organo iuxta Isaiæ vaticiniū Isa.40.
in deserto clamantem misericorditer delegauit: quæ gloriosum
illud, & dulce pœnitentiæ verbum, ita liberius exprimeret; vt
magnis illius orbe toto personante clamoribus iacentes in pec-
catis homines ad præparandas Saluatori vias excitarentur.

Huius ego vocis, quam hodie concauo in pectore meo rece-
ptam coram hoc augustissimo totius orbis terrarum Senatu re-
ciproca sum imagine redditurus vim inprimis admirabilem,
hinc vtilitatem maximam recensebo.

Ea est vocis huius pœnitentiæ baptismum annunciantis vir-
tus, & efficacitas, vt eam cæteris quibuslibet admirandis vo-
cibus in sacro volumine reuelatis facile superiorem prædicare
possimus.

Obstupescimus vocem illam mitis alioquin Moysis, quæ ter- Exod.2.
rifico quodam impetu ex ore illius erumpens tanto terrore
perculsit Ægyptium quendam Hebræo duriùs infestum; vt illi
mox vitam eriperet: sed maiori nos afficit stupore vox ista
Ioannis, quæ Dæmones acerrimos fidelium tentatores cuilibet
terrenæ potestati incomparabiles fugat, deijcit, atq; prosternit.

Singularem cunctis admirationē affert vox illa fide plena Du- Ios.10.
cis Iosuè, quæ cælis perenni, citiſsimoq. motu continenter ver-
satis clauum figere, solisq. cursum frenare potuit: Ast mirabi-
lius quoddam in hac pœnitentiæ voce conspicimus, quippe quæ
totum cælorum regnū illā excipientibus valet appropinquare. Matth.3

Iosu. 6. Mirabilem celebramus Heptaphonam buccinarum vocẽ in circuitu Hierico perstrepentem, qua longiùs, & concisiùs insonante muri funditus ciuitatis corruerunt. Quantò mirabilior vox ista Ioannis pœnitentiã vbique promulgantis, qua totum per orbem personante regnum cælorum vim patitur, atque cælestis illius Hierusalem mænia prosternuntur. A felici nanq;
Matth. 11. Ioannis tempore homines audito huius tubæ præconio passim velut impetu facto in hoc ipsum regnum violenter irrumpunt.

Apoc. 7. Præpotens sanè fuit vox illa quinti cuiusdam Angeli, quæ cæteros quatuor ad vniuersale totius orbis excidium destinatos, iamiamq. vindicem diuini Iudicis iram effusuros, ne mari terræq. nocerent animosè fortiterq. repressit. Sed enim longè maiorem in hac Angelici præcursoris voce potentiam confiteri necesse est, quandoquidem ipsiusmet Dei peccatoribus iustè crebriùs irascentis, districtoq. iustitiæ gladio mortis æternæ pœnas minitantis potenter obstringit brachia, furorem sedat, sententiam reuocat, amicitiam renouat, atque nos Deo restituit, vt plurimùm coniunctiores.

Sed quid longiùs pergam immensas pęnè vocis huius vires conglomerare. Hæc vna cælorum ianuam reserat Infernorum baratra claudit, fidelium animas regnerat; mundum totum innouat, Dæmonis vires elidit, truculentam Satanæ rabiem propulsat, Deum ipsum nostrorum grauitate scelerum sępius ad iracundiam incitatum in nos mitem, atque placatum reddit.

O ter admirabilem penitentiæ vocem. O vocem summè singularem. Vocem vnicè potentissimam.

Sed de illius iam vtilitate dicamus, quam sanè non minus, ac vim eius admirabimur, cum & ipsamet eius virtus tota in nostram vtilitatem referatur.

Et licet innumera suppetant argumenta, quibus incredibilis vocis huius vtilitas efficacissimè demõstraretur, illud vnũ tamẽ à Regio propheta mutuatum referam: Hanc nimirum vocem
Psal. 28. Domini illam vnam esse, quæ & vias dirigere, & præopulentum Incarnato Verbo diuersorium sternere luculenter præscribit.

Si namque decurrentes lachrimarum riuulos ad abluendas criminum maculas exoptamus. Quis exhauriet? Vox Do-
Psal. 28. mini. Vox enim Domini super aquas multas.

Si vel in ipso conuersionis vestibulo vires non sint ad viarum asperitatem complanandam, ad prauitatem semitarum di-
Psal. 28. rigendam. Quis virtutem adiunget? Vox Domini. Vox enim Domini in virtute.

Si profundæ pusillanimitatis valles appareant? Quis exaltabit, & magnificabit? Vox Domini? Vox enim Domini in magnificentia. *Psal. 28.*

Si prææalti superbiæ colles exurgant, & sese cedri vanæ præsumptionis extollant. Quis elidet, & confringet? Vox Domini. Vox enim Domini confringentis cedros. *Ibid.*

Si flammę vitiorum, & libidinum faces exarserint; quis intercidet? Vox Domini. Vox enim Domini intercidentis flammam ignis. *Ibid.*

Si subhorridus peccatorum animus ab omni virtutum cultura desertus squalleat. Quis concutiet, & purgabit? Vox Domini. Vox enim Domini concutientis desertum. *Ibid.*

Si quis demum conceptum iam salutis spiritum instar ceruarum ægrè valeat parturire. Quis præparabit? Vox Domini. Vox enim Domini præparantis ceruas. *Ibid.*

Quid tandem ad dignè præparandas vnigeniti vias expostulari potest, quod hac vna Domini voce è pectore Ioannis erumpente cumulatissimè non conferatur?

Ex quibus profectò omnibus satis apertè percipere licet, quantum vox ista Ioannis tùm virtute, tùm vtilitate cunctis admiranda concelebretur.

Ast illud longè mirabiliùs, quod non modo vox ista Ioannis pœnitentiæ buccinatrix in cunctis ita frigeat, vt nullum veræ conuersionis fructum operetur. Verum etiam ea iam deuenerint tempora, hi mores, vt plures hodie (proh pudor) Epicuri, quam germani Ioannis discipuli passim volitent, qui vocem huiuscemodi nauseantes ventribus suffarcinatis, meroq. distentis ad omne voluptatis genus profusissimè dilabuntur: Hinc nulla prænunciæ vocis habita ratione, nullũ paratur hospitium, nulli mundantur animi, sed sordescentibus cunctis infantulus ille diuinus ad stabulum declinare, rigidoq. fœno stratis præsepiorum incunabulis tenellus adhuc cogitur recubare. *Luc. 2.*

Videamus, ne qui vocem præcursoris contemnentes infanti Deo, mundi cordis, non paramus hospitium, tubæ nouissimæ, demum voce perculsi illum experiamur durum iudicem nos ad æterna fætoris horrendi stabula condemnantem.

Quando igitur tantum in hac voce virtutis nouimus, & vtilitatis. Quid quæso est, quod illam non attentis auribus exhaurimus, non lubenti animo paremus non studemus benè paratis mentibus imminentem Christi natalem excipere.

Huc materno velim Mariæ Virginis incitemur exemplo, quæ

grauida facta per Spiritum sanctum, dùm in magna esset sacri partus expectatione; non sine singulari pietatis studio longè magis, quàm nos æstimare possimus ad hunc noui Regis ortum, sese, vt nulla mater alia sedulò præparabat.

Ipsam inuocemus, vt fida eius intercessione Dei gratiam consecuti aptum illi nostræ mentis hospitium valeamus in terris præparare, quò tandem ab ipso sempiterna mereamur in cælis mansione munerari.

LAVS DEO.

ORATIO

Pro Domin. 4. Quadragesimæ.

M. DC. XII.

BENEFICENTISSIMVS ille miserator, totusq. misericors omnium facile fidelium Pater Iesus Christus oculis hodierna die in maximam hominum se cateruatim sequentium multitudinem subleuatis, famescentisq. turbæ miseratus esuriem lautum adeo B. P. mirabileque conuiuium illis in deserto colle præparauit; vt post quinque ferè mille viros ex quinq; solummodò panibus, duobusque pisciculis superabundanter exaturatos, duodecim adhuc fragmentorum cophini colligerentur. In qua quidem admirabili frugalis edulij multiplicatione, qua nobis Christus efflorescentis Ecclesiæ propagationem voluit quodammodo præsagire, plurima inter alia, quæ se cunctis admiranda proponuntur duo illa dnmtaxat, è quibus velut è radice tota admirationis occasio pullulare videtur, breuiter aperire contendam: Quibus nimirum medijs, & instrumentis; hinc quanam ratione, quouè modo, & ad satiandam in deserto multitudinem perpauculos hordei panes, & ad amplificandos in orbe terrarum Ecclesiæ terminos exiguam Euangelicæ prædicationis escam, ita mirabiliter multiplicarit.

Psal. 110

Ioh. 6.

Et quidem vt à primo summam exordium. Vniuersa quantumlibet admirabilia supremi motoris opera, quamuis & consuetum naturæ cursum, & naturalem intellectus nostri captum longissimè superent; si nihilominus omnipotentem agentis infiniti virtutem attentè consideremus; nullam prorsus in animis attendentium admirationem poterunt exuscitare: iam enim quotusquisque cognoscit, quod magnus est Dominus Deus noster præ omnibus dijs, & omnia quæcumque voluit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis nullo semper negotio perpetrauit. Verumenimuero si media, si instrumenta, quibus ille paruis, & exiguis vtitur ad hæc patranda mirabilia diligenter

Psal. 134

attendamus; tantoperè demirabimur, vt vnà protinùs cum Re-
Psal. 117. gio Psalte conclamare cogâmur. A Domino factum est istud, hoc est, mirabile in oculis nostris.

Quod enim ille tumidos, & æstuantes Immensi equoris vndas frenauerit, quod efferuescentes, atque superbos spumantis
Iob. 38. Oceani fluctus ostijs, vectibusq. concluserit. Quod toti demum Oceano furenter erumpenti terminos, quos non prætere-
Psal. 65. reat imperiosè præscripserit. Quid mirum in illo, qui cuncta facile maria in aridam conuertere; pedibus humanis saxea soliditate firma substernere, ad guttam vsque minimam valet exhaurire? Quod autem id arena tantum exigua præstiterit.
Hier. 5. Hoc est mirabile, hoc est mirabile in oculis nostris.

Quod disruptis agminum ordinibus, fugatis exercitibus, profusis copijs, de potentissimis Regibus, fortissimisq. Ducibus: Frequentes triumphos deportarit. Quid mirum in illo, qui Rex magnus super omnes Deos excelsas, & terribilis est, quo solum auertente faciem omnia turbantur; & in puluerem suum
Iudith. 13. reuertunt. Ast dum audimus id semel, & iterum timidis quibusdam fœminulis perpetrasse. Hoc est mirabile, hoc est mi-
Exod. 8. rabile in oculis nostris.

Quod obdurata Pharaonis viscera circa plebis electæ dimissionem omnino conclusa tandem reserauerit; quod adamantinam illius cordis duritiem emollierit. Quid mirum in illo, in cuius facile manu cuncta regum corda nouimus esse collocata, sed quod id ranis, muscis, locustis pertentauerit, hoc est mirabile, hoc est mirabile in oculis nostris.

Quod hodierna die multitudinem hominum ferè quinque millium in deserto transmare Tiberiadis posito vnico semel & exiguo parato prandio plenè satiauerit, Quid mirum in illo, qui plusquam sexcenta virorum millia quadraginta annis per
Exod. 16. vastam Arabiæ solitudinem affluentissimè pauit? Quod vero turbam hanc innumerabilem non iam cibarijs ex Ægypto secum asportatis, non rorifico melle de cęlo mirabiliter effluente, non coturnicibus ex Austro reflante gregatim conuolantibus, sed exiguis (vt ita dicam) Apostolicæ mensæ reliquijs tàm abundè repleuerit; vt multo plura superessent, quàm apposita fuerint; Hoc est mirabile. Hoc est mirabile in oculis nostris.

Quod angustos, & breues Ecclesiæ fines longè, lateq. totum per orbem extenderit; Quid mirum in illo, qui perduellem etiā Hebræorum sinagogam tot euersis vrbibus, tot extinctis Regibus, tot superatis nationibus in terram lacte, & melle fluen-

tem

tem tanta cum facilitate perduxit? Verùm quod ad id præstandum, tàm exigua adhibuerit initia, tàm infimis, tenuissimisque medijs vsus fuerit; hoc est mirabile hoc est mirabile in oculis nostris. Quosnam (amabo) Duces, ac milites pro potentissimis quibuscunq. nationibus superandis, & in vna fide congregandis sibi Christus adoptauit? *1. Cor. 1.*

An multos sapientes è celeberrimis Græcorum, siue Latinorū Academijs euocatos? Non. Non; Etenim quæ stulta sunt mundi Christus elegit ad sapientes quoscunq; confundendos: & stultā omninò faciens huius mundi sapientiam; suos etiam vetuit ne cogitare quidem quomodo responderent dum ante Reges, & Præsides interrogandi constituerentur. *Ibid.* *Matt. 10*

An multos nobiles longa fumosarum imaginum, auitorumq. stēmatū serie condecoratos? Non. Non. Quinimò contēptibilia semper excerpsit, & ea quæ non sunt; vt ea quæ sunt destrueret; neuè caro omnis in eius conspectu gloriaretur. *1. Cor. 1.*

An multos potentes, fortissimosvè Duces truculentis, & rutilantibus armis instructos? Non: Non, infirma namq. delegit, vt his fortia quæq. confunderentur. *Ibid.*

Stultam igitur, & ignobilem turbam, pusillum Apostolorum gregem assumpsit, qui contemptibili Crucis ligno, putataq. stultitia prædicationis armati superstitiosas quarumcunq. nationum religiones extirparunt, atque potentissimis Regibus, & Imperatoribus euictis; aris, ac templis Idolorum euersis, Idolatris omnibus expulsis; contemptam Euāgelicæ prædicationis escam in seiunctissima quæq. Regna multiplicarunt, & Christi fidem in omnem vsque terram viriliter disseminarunt. O admirabilem panis Euangelici virtutem. O incomprehensibilem sapientiæ diuinæ altitudinem. Quid quæso admirabilius? Quid diuinius excogitari potest? *Luc. 12.* *1. Cor. 1.*

Sedenim longè magis admirabimus; si iam accuratius animaduertamus quanam ratione, quovè modo & ad satianda tot hominum millia modicum, & exile prandiolum: & ad alendam in vna Christi fide tantam gentium multitudinem exiguū Apostolicæ doctrinæ pabulum affluenter adeo multiplicarit. Nam sicut hordeacei panis, ita & Euangelici multiplicationem non adiunctione, vel accumulatione aliqua: sed fractione tantū, & distributione factam facile quisq. potuit obseruauisse.

Non enim illi panis Euangelici distributores varijs armorum generibus instructi fortiter oppugnantes, sed sanguinem effundere parati vltro ceruices, & colla subdentes.

Non

Matth.19. Non aliena violenter arripientes, sed sponte suis omnibus renunciantes. Non gloriosè de hostibus triũphantes, sed prorsus inglorij mundo, & hominibus spectacula se præbentes.

1. Cor.4. Non illecebris mundi propositis turbas seducentes, sed verbum Crucis liberrimè prædicantes ipsorum credentiũ numerũ incredibiliter adauxerunt, & Ecclesiasticam auctoritatem non modo spiritualibus, verùm & temporalibus imperijs mirum in modum amplificarunt. Quæ namq. maxima per Constantinum ad Ecclesiæ vires accessio facta est: Hanc vllo, sine dubio promerita fuit larga per Laurentium proprij sanguinis, & Ecclesię facultatum prior facta distributio.

Ex quibus iam omnibus aperte colligere licet, quod parua semper, & humilia pro mirabilibus quibuscunque patrandis assumuntur, & facultates, vel minimæ fractione, & distributione multiplicantur. Quid ergo?

Desideramus maximum, & altum sanctitatis gradum attingere: sed infirmitatem, & pusillanimitatem nimiam collachrimamur. Audeamus. Nam Deus imbecille semper, & humile suis operibus initium, finem vero splendidissimum, & altissimum tribuere solet.

Desideramus admirabilia, præclaraq. pro Christo facinora perpetrare. At vires exiguas, & minimas vbique contestamur. Audeamus; minima namq. semper, & exigua Deus elegit pro maximis, & mirabilibus quibuscunq. perficiendis.

Desideramus aliquando miseratione commoti pauperum, & egenorum inopiam subleuare. Verùm de crastino nimia sollicitudine cogitantes, veremur ne penitùs exhaustis, quæ possidemus in posterum necessaria desint. Audeamus. Audeamus. Etenim vel minima libenter indigentibus erogata fractione, & distributione liquidò satis agnouimus accumulatissime multiplicari.

Quod reliquum est contemptis iam terrenis altitudinibus, spretaq. inexaturabili diuitiarum affectatione minima semper, & humilia studiosiùs amplectamur. Supereffluentes facultates largiter, & effusè distribuamus: quo tandem vnà cum ineffabili spiritualium, & temporalium bonorum centuplicatione, ad maximas, & altissimas aliquando sempiterni regni dignitates mereamur peruenire.

Laus Deo B. Mariæ Virg. D. Ioan. Baptist.

ORA-

ORATIO
Pro Dominica 4. Aduentus.
M. DC. XII.

PRÆCLARISSIMIS ſacrarum litterarum monumentis illuſtratur B. P. eximius ille Propheta Moyſes, qui legatione diuina ductor Iſraelitici populi conſtitutus ipſum ad terram lacte, melleq. manantē per imperuia deſerta fideliſſimè perduxit. Aſt multò ſanè illuſtrioribus Euangeliſtæ præconijs vbique fidelium hodierna die celebratur homo ille miſſus à Deo, cui nomen Ioannes, qui primus tot ſæculis inuias, nec vſquam tritas regni cælorum ſemitas toti terrarum orbi præmonſtrauit, patefecit, direxit, complanauit. *Exod. 3.* *Luc. 3.* *Ioh. 1.*

Verumenimuero ſtatim illud occurrit amariſſimè deplorandum, quod quantò ſublimius Moſe Ioannes munia præcurrentis exercet, tantò ſegniores Iſraelitis Chriſti fideles in arripiendo, quod indicauit itinere paſſim inueniantur. Quod quidem vel ex eo liquidò ſatis apparebit, ſi primum comparatis inter ſe ducibus incomparabilem Ioannis excellentiam deducamus; vt ex mutua deinde populorum collatione fidelium iners, & ignaua ſegnities euidentiſſimè colligatur.

1 Moyſes ille magnus Dei famulus cum ad Hebræorum populum duriſſima Pharaonis ſeruitute grauatum electione diuina legaretur in medio captiuorũ miſerè collachrimantium poſitus illos tandem à captiuitate liberos ad exoptatiſſima Chananæi regna conducturum pollicebatur: Ioannes iſte cunctos inter natos facile maior cum vniuerſum mundum, tàm diuturni pertæſum exilij, de grauiſſimòque Tartarei Pharaonis iugo ipſius iamdudum ceruicibus impoſito miſerabiliter ingemiſcentē, tot ſæuiſſimè graſſantibus, ſub enarratoq. Tyrannorum imperio vehementer ingraueſcentibus malis iam propè collabantem intueretur primus, & nouus orbis Lucifer in colliminio legis vtriuſque ſuſceptus hactenus inauditum regni cælorum verbum clara voce proclamauit; nec non ſaluta- *Exod. 4.*

re diuinum: imò Saluatorem ipſum, quẽm ſexcentis iam annis
Luc. 3. ſuſpirabundus orbis efflagitarat omni carni contemplandum intento veluti digito præſignificauit.

Exod. 2. Ille per ignota deſerta, per longos, & difficiles vaſtiſſimæ ſolitudinis anfractus viam ad promiſſa regna præmonſtrans populum ſibi creditum diutiſſimè circunduxit. Iſte cunctis ex animo prædicatam pœnitentiæ viam arripientibus illicò montibus, & vallibus peccatorum exequatis regnum ipſum
Luc. 3. cælorum appropinquare, ſalutareq. diuinum in conſpectu fore propalam eſt euangelizatus.

Exod. 3. Ille pro ſuperandis quibuſcunque viarum impedimentis admirandam, portentoſamque Virgam diuinitus acceptam
Exod. 14. manu tenebat, proferebat, eleuabat; hac inuia Maris rubri profunda ſicco pede traiecit, hac inacceſſos torrentium, Ar-
Num. 21. Exod. 17. non ſcopulos inclinauit, hac eſuriem, ſitim, cæteraſq. ſolitudinis aſperitates exantlauit, hac ipſa cataphractos inimicorum
Num. 21. exercitus inuictiſſimè propulſauit. Iſte pro patefaciendis, dirigendis, complanandis ad regna cælorum itineribus ſalutarem, & ſacram pœnitentiæ virgam è cælo deprompſit, cuius vſu montes peccatorum naturæ viribus inſuperabiles humiliantur, profundæ mendicitatis noſtræ valles adimplentur, crebræ difficultatum emergentium aſperitates explanantur, infeſtiſſimi Dæmonis impetus retunduntur.

Sed enim fruſtra ſuſceptus labor eſſe videtur, ſi pluribus inceptam proſequi velim comparationem, tàm multis enim partibus Ioannem ſuperiorem animaduerto, vt quoties illum hucuſque cum Moſe contulerim, toties non conferendum, ſed præferendum eſſe rectius exiſtimarim.

Sufficiat ex his, quæ diximus apertiſſimè conſtare quanto liberiùs, & acrius exprobranda nobis occurrat ægra Chriſtianorum ſegnities, quæ quidem turpior adhuc vnicuique patebit; ſi paucis eam cum Iſraelitarum ſollicitudine conferamus.

Exod. 4. Illi cæteroquin induratæ ceruicis à Deo tamen ſibi delegatum Ducem, qui certo, fidoque præconio Chananæorum regna polliceretur, qui viam ad ipſa præeundo commoſtraret diligenter attenderunt, cupidius audierunt, auidiſſimè exceperunt. At fidelium multitudo nouas Ioannis conciones de via per pœnitentiam ad regna cælorum aperienda propoſitas, ſurdis velut auribus ita præterire videtur, vt iam vſus, & effectus veræ pœnitentiæ parum intelligatur, minus exigatur, minimèq.

nimèque præstetur. Quinimò pœnitentiæ solummodo nomen hac ætate remanserit; res autem ipsa vsque adeò exulauerit, vt ne quidem illius vmbra retineatur.

Illi statim atque gratissimo Moysis nuncio concupitam diu terram certo, breuiq. possidendam intellexerunt, diuina quasi promissione recreati, fractum, & debilitatum tot incommodis animum colligentes illuc toto iam affectu contendebant. Isti salutare diuino, regnisq. cælorum ab illustriori fideliq. præcone promulgatis minimè, vel certe leuiter adeo commouentur, vt grauissima præcursoris edicta pro superstitiosis quibusdam nugis, & fabulosis vulgi rumusculis videantur existimare. Exod. 4.

Illi semel indicato per Moysen itinere confestim vbi liberè progredi licuit nulla pęnitus interposita mora, nec locorum asperitate, nec laborum multiplicitate retardati præeuntem sequuti Ducem audacissime deserti viam arripuerunt. Isti toties de semitis ad regna cælorum dirigendis admoniti de modo quo planum, & expeditum reddatur iter tùm verbo, tùm exemplo præcursoris luculenter instructi: totis attamen diebus otio marcescentes, & tardigradi nimis fingunt in præcepto laborem;& inanem ignauiæ suæ fucum prætexunt; dum in veteri peccato persistentes sæpius inculcatum pœnitentiæ verbum indies exequendum solent procrastinare. Idcirco tàm longe de via recta deflexerunt, vt nullo iam tempore præscriptas à Ioanne pęnitentiæ semitas, vel minus agnouisse, vel audacius excessisse videantur. Exod. 4.

O certe deplorandam præsentis vitæ corruptelam? ò perditissimos nostri sæculi mores? ò cæcas mortalium mentes?

Iam effrænes pleriq. fidelium dulci quadam Epicureæ libertatis esca pellecti voluptarijs efferuescentiũ affectionũ illæcebris deliniti, fallacibus mundanæ gloriolæ blandimentis irretiti, sese genus in omne flagitiorum intemperanter effundunt, & arbitraria viuendi ratione vanos ad luxus tàm licenter, quàm turpiter abutuntur. Ex quo facile fit, vt humana mens totis laxatis habenis voluptati prorsus neglecta, velut auriga quidam ab efferatis equis violentius agitatis hinc inde per obliquos distracta tramites longius ab indicata regni cælorum via tergiuersari quodammodo compellatur.

Quocirca verendum est maxime, ne qui modo persępe commendatum pęnitentiæ verbum exhorrescentes ad euangelizatum cæleste regnum sibi viam aperire contemnunt, ab illo

quan-

quandoq. iusta Iudicis irati sententia perenniter exulare condemnentur.

Suppudeat ergo iam tandem omnes vel in affectando nobis ostentato regno, vel in arripienda præcurrentis indicatâ via turpiter ab Israelitis solertia vinci; totisq. conatibus enitamur tantò illis in vtroq. prælatos esse, quantò Dux facile noster Ioannes tùm regnorum æternitate, tùm viarum facilitate præfectum illorum Moysem exuperauit.

Quò demum humiliatis per contritionem iniquitatum montibus, adimpletis per satisfactionem inopiæ nostræ vallibus, absterfis omnibus per confessionem culparum, & scrupulorum asperitatibus ad annunciata cælorum regna recto, planoq. tramite peruenire, necnon ibi promissa diuini salutaris visione perpetuò frui commereamur.

Dixi.

ORATIO
Pro Domin. 4. Quadrageſimæ.
M. DC. XIII.

DEMIRABITVR fortaſſe quiſpiam hodierna die B. P. quod in hac communi, publicaq. totius Eccleſiæ lætitia, quã feſtiuis aureæ roſę benedictionibus Pontificia ſolennitas, mutatis ex parte veſtibus ſacratiſſimus iſte Senatus, admirabilibus epulis euangelica tuba, ſolenni decantato lætare chorus exultans apertiſſimè conteſtantur; vnus ego diſſentaneum, & importunum de pęnitentia ſermonem conſtituerim intermiſcere. At cur non ego potius admirabor Eccleſiam ſacris hiſce diebus pęnitentiæ conſecratis omni ferè depoſito luctu tot iucunditatis argumenta deprompſiſſe? Verumenimuero neutrobique mirandũ eſt; cum.n.huiuſcemodi lætitiæ præludijs conuiualia pęnitentis animæ gaudia præfigurentur, & tantæ feſtiuitati pęnitentiæ vocem, & pęnitentiali tempori tantam feſtiuitatem minimè diffitendum eſt affabrè ſatis conquadrare. Quod quidem quam verùm ſit facilè percipiemus, ſi primùm quinam hodiernæ menſæ conuiuæ diſcumbant, deinde qualenam conuiuium inſtituatur paucis attentauerimus enucleare.

Obſtupeſcebant Iſraelitarum populi tot conſternati mirabilibus, quæ Chriſtus in dies omnipotenter operabatur; quem idcirco promiſcuis turbarum examinibus vndiq. conſtipatum ſtudioſè perſequentes neglecto quoque neceſſario pro vita ſuſtentanda commeatu Tiberiadis hodie mare tranantes ad deſertum vſque ſunt conſectati. *Ioh.6.* Horum ipſe Chriſtus eſt miſeratus eſuriem, his velut aſſiduis eius aſſeclis admirandũ illud conuiuium exhibuit, hos dũtaxat enarratæ menſæ conuiuas aduocauit. Sedenim vt annotata præſentis miraculi ſuperficie myſteria medullitus introſpectemus, quid aliud per mare traiectũ à turbis, quàm pœnitentia diſignatur? Quod quæſo vel expreſſius ipſo mari, vel certè viuidius pœnitentiæ ſymbolum po-

terit vnquã excogitari? Illud.n.si fallendinis asperitate, hæc acerbitate contritionis amarescit. Illud si cadauerum immũditias, hæc peccatorum sordes expurgat; Illud si varijs ventorum agminibus, hæc immisso sancti Spiritus afflatu iugiter concitatur.

Quot motibus (Deum immortalem) impellitur? quot impulsibus commouetur? quot cogitationum flabris exagitatur animula fidelis, quæ serius in amaros pœnitentiæ fluctus ingrediatur? Diuino timore præmitur, spe veniæ erigitur, dolore culparum quatitur, illarum pudore suffunditur; modò extollitur vsq;
Psal. 106. ad cælos diuinis animata promissis, modò demittitur vsque ad abyssos æternis perterrefacta supplicijs, nunc ad misericordiæ dexteram appellitur, nunc ad iustitiæ sinistram agitur, ad anteactæ vitæ puppim reminiscentia peccatorum allidítur, ad futuræ proram obuiantibus difficultatum scopulis conquassatur; Mens fluctuat, efferuet animus, cor eliquescit, spiritus intercluduntur, sensus excruciantur. Insurgunt tentationum turbines, insultat dæmonum rabies, defluunt lachrimarum imbres, irruũt persecutionum procellæ, & crebris denique commotionum vorticibus inquietatur. Quod quæso mare pœnitentia vorticosius? Ecquodnam pelagus eadem amarius? quæ tandem æquora mage iactata poterunt inueniri? Illud propterea diuino crediderim obseruatum esse consilio, quod si Christus in ipso prædicationis exordio pœnitentiam est promulgaturus: E
Matth. 4. deserto venit ad viam maris. Si delectos ad pœnitentiam prædicandã
Ibid. habere velit Apostolos; Ambulat iuxta mare. Si turbæ
Matt 14. de varijs pœnitentiæ fructibus edocendæ: Sedet secus mare. Si Petrus non Hebræis tantũ, verum & gentibus pœnitentiã annun
Act. 10. ciare iubetur: Cælitus eruditur in domo iuxta mare. Si demum Niniuitis ille Ionas præscriptos pœnitentiæ dies est indicturus.
Ion. 2. Enatat è mari. Nec.n. vllo poterãt accõmodato magis, quã ipso maris exẽplo pñiæ vestigia luculẽtiùs præsignificari. Quapropter
Ioh. 6. hodie Christus, vt hominum quinq; millia, quinq; tantũ panibus mirabiliter exaturaret; Abijt trans Tiberiadis mare. Quinimò quatuor iterũ millia de septẽ panibus affluẽtissimè cibare pro-
Matt. 15. ponens; Trãsijt secus idẽ Galilææ mare. Deniq; iam immortalis
Ioh. 21. discipulos ad piscis assi prandiũ inuitaturus: Cõuocat ad littus maris. Quid plura? Deus olim Hebræorum populis inauditas in deserto mãnæ cælestis epulas instruxit; At prius illos inuia ma-
Exod. ris rubri profunda iusserat transmeare. Vt ex his omnibus exactius admoneremur pœnitentiã illud vnũ esse mare præfiguratũ, per quod via fidelibus pãditur ad æternas illas Beatorũ mensas,

quæ

quæ per Spiritum sanctum in prænarratis conuiuijs trans mare celebratis præludebantur: atque eos solummodo cælestibus adnumerandos esse conuiuis, qui turbulentũ pœnitentiæ mare prætervecherentur. Quæ cum ita sint iam apertè concludere licet, & oppido quàm appositè conuiualibus hisce gaudijs pœnitentiæ vocẽ insonuisse, & Ecclesiã congruenter indictis pñiæ tẽporibus pñtem lætitiam intertexuisse. Quod quidem adhuc euidentius innotescet, si conuiuis iam mare traductis ad conuiuium ipsum attentius oratione nostra cõsiderandũ approperemus, Si namq. locum vbi paratur, si fercula; quæ apponuntur; si sellas, lectulosvè, quibus assidendum. Si demũ apparatũ, quo magnificenter exornatur accuratius examinare velimus omnia pñiam subolere manifestissimè colligemus. Locus enim in primis desertus est, locus (inquam) à Christo, vel eius imitatoribus ad pœnitentiam peragendam præsertim electus, quippe qui sit mirum in modum accommodatus ad Satanæ vires fortius eliminandas, ad spirituales exercitationes expeditius subeundas, ad omnes carnis effectus radicitus auerruncandas: dũ ibi totus à mundi luxu secedens, malorũ euitans contubernia, delitijs omnibus nuntiũ remittens facilè quisq. potest voluntaria solitudine carcerari. Fercula quinq. panes sunt, & duo pisces, sed illi quidẽ ex asperis, & mordacibus hordei granis subacti sunt, isti vero vel in amaris capti fluctibus spinis, & aculeis intus, forisq. coagmẽtãtur, quasi nobis innuatur æternas cælorum dapes non nisi per asperitatẽ pñiæ, lachrimarũ amaritudinẽ, cordisq. cõpunctionẽ posse degustari. Sellæ, lectulivè conuiuarũ nõ aurei sunt, vel argentei, velut in Assueri conuiuio sternebantur, sed aridũ, vileq. fœnum, quod quidem haud obscure declarat carnem, quæ fœni voce passim exprimitur his, qui cælesti prægestiunt adscribi cõuiuio fore ieiuniorum ariditate siccandã, & continua maceratione conculcandã. Apparatus demum quo fidelibus hodierna mensa repræsentatur; tùm ex colore vestiũ, tũ ex mystica floris aurei figura rubentẽ nobis rosam adumbrat, quæ cũ è spina nascatur, spinis vndiq. circũsepta, necnõ inter spinas efflorescẽs satis indicare videtur efflorentissimas mẽsæ cælestis epulas attingi non posse, nisi peracutis doloris, & pœnitentiæ spinis corda, corporaq. cõpungantur. Non igitur incongruè lætabunda nunc Ecclesia medio in ipso pœnitentiæ cursu ferias hasce peculiares instituit esse celebrãdas: quandoquidem in eis pœnitentibus ipsis lætare iucundum occinit, vbera cõsolationis affert admirabile proponẽs conuiuium, & de pœnitentiæ mari ferè transmisso publicè congratulatur. Et quid mirum? Ipsi quoq; cælo magnum infertur gau-

Esther. 1.

Luc. 15.

gaudiũ,& ſingulare feſtũ ſuper vno peccatore pœnitentiã agente
Luc. 15. cõcelebratur.Cõgaudet ibi cæleſtis illa Mater noſtra Hieruſalem de drachma in domo per peccatũ ammiſſa per pœnitentiã
Ibid. ruiſus inuenta. Complaudit Paſtor ille diuinus de ouicula longius peccatis aberrante per pœnitentiam iterum recuperata.
Ibid. Collætatur pater æternus de filio prodigo ſua culpa pereunte, denuo per pœnitentiam reuiuiſcente:atq; pro læto illius in paternam domum regreſſu celebrando feſtiuum iubet parari conuiuium.Vbi non in fęno,vel gramine diſcumbendũ;ſed in thro-
Apoc. 3. no Chriſti ſecum vnà dabitur conſidere.Non iã Apoſtolica ma-
Luc 12. nus diuidet eſcas, ſed Dñs ipſemet præcinctus tranſiens mini-
Tob. 12. ſtrabit:Non hordeacei panes apponentur, ſed inuiſibilis Ange-
Luc. 15. lorum cibus,vitulusq. ſaginatus adducetur,tota nimirũ ipſiſſimæ diuinitatis vbertas,qua nil pinguius,nil ſaginatius eſſe po
1. Ioh. 3. teſt;non quidem ſacris obtecta velaminibus, ſed nudè ſicuti eſt contemplanda,& vberrimè perfruenda.

O admirabile conuiuium,o inexplicabiles animæ pœnitentis epulas, ò ter quaterq. fælices conuiuas.Ita nobis Deus ſit propitius,ac faueat; vt ex ſuperantibus ibi dapibus in illam vnam menſam velut in aceruum comportatis,atq; congeſtis particulam aliquam,vel minimã ad animarum noſtrarum qualemcunq. tùm illuſtrationem,tùm ſanctificationem aſſequi valeamus. Etenim ita deſipuiſſe videntur hac ætate mortales, vt virulentis Satanæ pręſtigijs mentibus eorũ offuſis miſerrimè faſcinati iam ad picturatas, & triobulares mundi menſas toti conuertantur. Cæleſte vero conuiuium(nempe quod amarulento palato fauus ipſe mellis ſapidus eſſe non poteſt) ſocordes negligunt,nauſeabundi reſpuunt,faſtidiosè ſtomachãtur:vel ex eo quod amarum pœnitentiæ mare perhorreſcentes neceſſarium illius tranſitum partim omninò refugiant,partim oſcitanter aſſueſiant comperendinare. Væ ſemel, & iterum væ miſeris ni reſipiſcant,nam ad extremũ in puncto breuiſſimis ab epulis ad inferorum menſas perpetua fame cruciãdi deuoluentur;& qui modò peranguſtum pęnitentiæ fretum pertranſire contemnunt;vaſtiſſimum, & immenſum illud æterni ſupplicij pelagus compellentur inuiti poſtea permeare. Secum ergo tandem reputet vnuſquiſque,& omni iam excuſſo torpore,ſingulariq. adhibita contentione deliberatius ab inueterato prioris vitæ littore ſoluens pœnitentiæ mari ſe quã primùm immittat, quò demum Chriſto duce portũ ſalutis aduectus cæleſtibus aliquando menſis accumbat viuifica præſentiſſimæ Deitatis eſca perenniter exaturandus.

LAVS DEO B. M. V. ET B. IO. BAPT.